



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalogus Episcoporum Hildesiensium

Letzner, Johannes

Hildesheim, [ca. 1690]

XXII. Bruno

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64252)

XXI. BERNARDUS I. Comes de Rotenburg & Dominus in Walhusen, quod Dominium ejus dono Cathedralis Ecclesiæ possessionibus accessit, ob raram virtutem & prudentiam è Præpositura ad pedum Episcopale invitatus & reluctans evectus est Anno 1130 cum omnium gaudio. Anno 1131. cum Lothario Rege ac universis ferme Germaniæ Episcopis Innocentio II. Pontifici adfuit in Leodiensi Concilio & in Autumno celeberrimum Concilium Rhenense cum S. Norberto Magdeburgensi Archi-Episcopo accessit, ubi effecit, ut in Divorum Catalogum referretur S. Godehardus. Cujus honori Templum & Monasterium Hildesii construxit ac fundavit: atq; in illa sacra ejusdem Divi Lipsana, supplicatione solenni è summa Æde transtulit, plurimis subsequens miraculis & beneficiis. Virginibus in Ringelheim reformationem recusantibus ex Ordine S. Benedicti Viros Religiosos substituit. Arcem & Comitatum Wintzeburg, morte Comitis per genium Pileolum, vulgò Hödeken dictum, sibi insinuatâ, recuperavit. Foundationem Monasterii Derneborgensis ratam habuit Anno 1143. Denique oculis captus, ontus Episcopale resignavit: ac tandem Anno 1154. 20. Julii, post annos 23. in Episcopatu cum laude & sanctitate transactos, ad Superos abiit, corpus verò in Choro Templi S. Godehardi miraculis clarum requiescit.

XXII. BRUNO Ex familia Nobilium de Hotten seu Hottelem, primò Decanus, deinde hujus Ecclesiæ Antistes Anno 1153. electus, pietate & literarum studiis mirificè fuit deditus, unde vel doctissimis

ctissimis istius seculi annumeratus est. Enituit in eo singularis morum suavitas, modestia, continentia, ac Deiparæ cultus, cœlesti beneficio ac visione approbatus. Primus B. V. natalem cum octava celebrem habuit, totâque Diœcesi celebrandum præcepit. Arcem Wintzeburgensem turre pentagonâ communivit, Pagum Hottelem Ecclesiæ opibus adjunxit. Templum summum plurimis ornamentis, vestimentisque pretiosis, Bibliothecam libris instruxit: cumque decem annis laudabiliter præfuisset, obdormivit in Domino Anno 1164. 8. Octobris.

X X I I I. HERMANNUS Nobilis de Wennerde ex Præposito Collegiæ Sanctæ Crucis ad mitram Hildesinam electus Anno 1164. Eâ fuit eruditione & eloquentiâ, ut adhuc Diaconus ad Imperatorem Fridericum omnium nomine excipiendum Orator destinaretur, & coram ipso sæpius peroraret. Electus Præsul mox regalium investituram obtinuit & à subditis fidelitatis juramentum exegit. Animi demissione, mansuetudine, affabilitate & benevolentia in omnes fuit singulari: ardente cultus Divini promovendi zelo & exemplo præfulsit; Eximiam in pauperes liberalitatem ostendit; dum enim in summa annonæ caritate alii frumenta reconderent, ipse unus horreo aperto pauperibus gratis, divitibus levi pretio vendidit. Anno 1172. In magno procerum Conventu primariam Urbis Brunswicensis Basilicam in honorem D. Blasii consecravit. Ob Patriæ devastationes, in terram sanctam iter suscepit, in quo naufragium passus ar-
reptâ